

definiunt. In eiam multorum dierum, morbos, & ærumnas lenissime & constantissimè perferunt. Ipsos partus dolores, licet acerbissimos, ita diffimulant feminae vel superant, ut ne ingemiscant quidem: ac si cui lacryma vel gemitus excideret, æterna flagraret ignominia, neque virum, à quo duceretur, præterea inveniret, Nihil unquam amicus cum amico, uxor cum viro, cum uxore vir, queritur & expostulat. Liberos mira caritate complectuntur: sed modum non tenent; in eos enim neque animadvertiscunt ipsis, neque ab aliis animadverti sinunt. Hinc petulantia puerorum & ferocitas, quæ, postquam se corroboravit ætate, in omne fcelus erumpit. Quam autem erga liberos & familiares comitatem præ se ferunt, eandem cum ceteris civibus suis, ac popularibus, usurpant. Si quis amariore joco quempiam momordit, (nam dicaces vulgo sunt, & in jocos effusi) belle diffimulant, aut vicem reponunt, & absentes remordent; nam præfentes cavillari, aut coram dictis incessere, religio est. Non aliud libentiū convicium regerunt lacefitti, quam si hominem ingenio carere dicant. Scilicet ingenii laudem vindicant fibi; nec temere. Nemo inter illos hebes, ac tardus; quod nativa illorum in deliberando prudentia, & in dicendo facundia, declarat. Auditæ quidem fæpe sunt tam appositè ad persuadendum perorare, idque ex tempore, ut admirationem exercitatisimis in dicendi palæstra moverent.

Respondet ingenio corpus, aptum membris, pro-